



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Qvartvs. Vtrum proceßio amoris in diuinis sit generatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

virtualem
causalitatem
inter essen-
tiam, & pa-
ternitatem,
& alias re-
lationes ut
voluit Mo-
lis.

ac SS. Trinitatis mysterium explicare, multa congruit ad subsequentes quaestiones pertinentia: ac proinde presenti loco non satis oportuna. Ex quibus vnum est, quod cum doctrina S. Th. & SS. Patrum, non satis apparet esse consentiens; sic enim ait: *Meditanda est diuina essentia tanquam radix relationum, proprietatumque omnium personarum virtute in se eas continens: ea vero in illo priori per intellectum seipsam intelligente, quasi resultat à parte essentia relatio eius, à quo alius per intellectum, ex qua & essentia (quae intelligere ipsum, ceteraque omnia attributa includit) constituitur Pater &c.* Et infra: *Quia essentia diuina virtute continet in se personas diuinas, proprietatesque, ac relationes, quibus persona constituitur, atque abinuicem distinguuntur; ex fecunditate, quae per intellectum, & voluntatem prouenit, quod in Deo sit gloriosissima Trinitas personarum; inde est, quod nostro intelligendi modo cum fundamento in re ab essentia ad seipsam respiciente, sequè ipsam intelligente, quasi resultare intelligatur paternitas in ipsamet essentia, vna cum essentia constituens suppositum relationum Patris &c.* Hæc ille. Quæ quamuis ab eodem ad bonum sensum trahantur, dum ait nullam hic esse realem ac propriè dictam productionem aut resultantiam paternitatis ex essentia, sed secundum nostrum modum intelligendi tantum: Absurdum tamen videtur primò dicere diuinam essentiam esse radicem relationum ac proprietatum omnium personarum: nam proprietas personalis patris quatenus est hypostatica forma, personam Patris constituens, substantia est pertinet ad complementum diuinæ naturæ; atque idè non est à nobis ad modum proprietatis ex natura profluentis contemplanda. Ex quo sequitur minus bene dictum fuisse, quasi resultare à parte essentia relationem à quo alius per intellectum, ex qua simul cum essentia constituitur Pater, ex eo quod in illo priori essentia per intellectum seipsam intelligit. Nam essentia ante personalem substantiam, etsi considerari possit ut subsistens essentialiter; ea tamen substantia nec intelligitur completa ante substantiam personalem: concipitur enim ut determinabile substantia personali incommunicabili; nec operatio naturæ ut sic subsistentis potest modo nostro intelligendi causare personalem Patris proprietatem, quæ est hypostatica forma illius constitutiva: Nam intelligere quod concipimus in natura diuina essentialiter subsistente ante personalitatem Patris, essentialiter est; igitur ex eo non intelligitur resultare in Deo nisi aliquid essentialiter eo posterius; non enim apparet res aut ratio determinans essentialiter præcisè sumptum ad causandum constitutum huic personæ proprium. Et confirmatur: Quia perfectiones siue rationes illæ, quas in Deo concipimus ut causas & effectus virtualiter in essendo, proportionaliter se habent ad ea, quæ cognoscimus in creaturis; At in creaturis ea quæ substantialia & personalia sunt, non sequuntur in re ex eiusdem operatione; nec specialis aliqua ratio poterit vnquam assignari, cur aut quomodo ex essentia diuina seipsam intelligente essentialiter resultet in ea relatio personæ Patris constitutiva; Nam si de relatione paternitatis, quatenus relatio est in actu exercito ad Filium, sermo sit, certum est eam in persona Patris resultare ex intelligence notionali quæ est generatio; ut docet infra S. Th. q. 40. a. 1. & 2. in quo deceptus videtur fuisse Mol. non distinguens inter relationem paternitatis, ut forma hypostatica est & ut est relatio.

Melius itaq; videtur dicendum cum D. Th. & Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

Capr. & alijs antiquis Theologis, diuinam essentiam si eundem se & ex seipsa determinari ad subsistendum in tribus personis ordine quodam, ut scilicet in Patre sit tanquam ingenito; in Filio ut à Patre per actum intellectus qui est generatio procedente; in Spiritu sancto vero, ut à Patre & Filio per actum voluntatis qui spiratio est emanante; adeò ut nullus sit ordo virtualis causalitatis inter essentiam seipsam intelligentem, & Paternitatem prout est Patris constitutiva; quamvis concipi possit essentia in concreto, ut hic Deus intelligens, antequam concipiatur in Deo Paternitas; nam, ut diximus, nulla apparet omnino ratio talis causalitatis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Virum processio amoris in diuinis sit generatio.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod processio amoris in diuinis sit generatio. Quod enim procedit in similitudine naturæ in viventibus, dicitur generatum, & nascens. Sed id quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in similitudine naturæ, alias esset extraneum à natura diuina, & sic esset processio ad extra. Ergo quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit ut genitum, & nascens.

2. Præterea. Sicut similitudo est de ratione verbi, ita est etiam de ratione amoris. Vnde dicitur Eccl. 13. quod omne animal diligit simile sibi: si igitur ratione similitudinis, verbo procedenti conuenit generari; & nasci; videtur etiam, quod amori procedenti conuenit generari.

3. Præterea. Non est in genere, quod non est in aliqua eius specie. Si igitur in diuinis sit quedam processio amoris, oportet, quod præter hoc nomen commune, habeat aliquod nomen speciale. Sed non est aliud nomen dare nisi generatio. Ergo videtur, quod processio amoris in diuinis sit generatio.

Sed contra est, quia secundum hoc sequeretur, quod Spiritus sanctus qui procedit ut amor, procederet ut genitus, quod est contra illud Athanasij. * Spiritus in suo sym-
sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec
genitus, sed procedens.

Respondeo. Dicendum, quod processio amoris in diuinis non debet dici generatio. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod hæc est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem sit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis. Et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. c Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut Spiritus. Quo nomine quadam vitalis motio, & impulsio designatur: prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.

Ad primum ergo dicendum, quod quicquid est in diuinis, est vnum cum diuina natura. Vnde ex parte huius unitatis non potest accipi propria ratio huius processionis, vel illius, secundum quam vna distinguatur ab alia: sed oportet, quod propria ratio huius vel illius processionis accipiat secundum ordinem vnius processionis.

162.
1 dist. 13 ar.
3. Et 4. cō-
tra cap. 23.

d
773.

99.

194.

D

cessio-

reſponſionis ad aliam. Huiusmodi autem ordo attenditur ſecundum rationem voluntatis, & intellectus. Vnde ſecundum horum propriam rationem ſortitur in diuinis nomen vtraque proceſſio, quod imponitur ad propriam rationem rei ſignificandam: & inde eſt, quod procedens per modum amoris: & diuinam naturam accipit, & tamen non dicitur natum.

Ad ſecundum dicendum, quod a ſimilitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem; nam ad verbum pertinet, inquantum ipſum eſt quadam ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis: ſed ad amorem pertinet, non quod ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed inquantum ſimilitudo eſt principium amandi. Vnde non ſequitur, quod amor ſit genitus, ſed quod genitum ſit principium amoris.

Ad tertium dicendum, quod Deum nominare non poſſumus niſi ex creaturis, vt dictum eſt ſupra. * Et quia in creaturis communicatio natura non eſt niſi per generationem, proceſſio in diuinis non habet proprium, vel ſpeciale nomen niſi generationis. Vnde proceſſio, qua non eſt generatio, remanſit ſine ſpeciali nomine: ſed poteſt nominari ſpiratio, qua eſt proceſſio ſpiritus.

Sensus quaſiti.

QVAERITVR hic formalis differentia proceſſionis amoris à generatione, prout optime declarat Caiet. quem ſequitur Sylueſt. & Zum.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. qua directe reſpondetur quaſito eſt. Proceſſio amoris in diuinis non eſt generatio. Probatur. Hæc eſt differentia inter intellectum & voluntatem, quod intellectus habet tria ſeſe ordinate conſequentia. Primū quod ſit in actu per hoc, quod res intellecta eſt in intellectu ſecundum ſuam ſimilitudinem. Ex quo ſequitur ſecundum, nimirum quod proceſſio qua attenditur ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis. Ex quo ſequitur tertium, ſcilicet proceſſionem intellectus poſſe habere rationem generationis: quia omne generans generat ſibi ſimile. Voluntas autem tria habet prædictis oppoſita. Primum eſt, quod non ſit in actu per hoc quod aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc quod inclinationem quandam habet in rem volitam. Ex quo ſequitur ſecundum ſcilicet quod proceſſio, qua attenditur ſecundum rationem voluntatis, non conſideratur ſecundum rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundum rationem impellentis & mouentis in aliud. Ex quo ſequitur tertium, videlicet, proceſſionem amoris non eſte generationem, & id quod procedit non eſte genitum aut Filium, ſed magis vt ſpiritum procedere; quod probatur: quia ſpiritus importat quandam vitalem motionem & impuſſionem, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum: ergo procedens per modum amoris procedit vt ſpiritus, qua eſt SECUNDA CONCLUSIO, qua reſpondetur intento, vt hic aduertit Caietanus.

Expoſitio Textus.

ADVERTE primò vtramque concluſionem eſte fidei confeſſionem, vt probant recentiores diuinarum ſcripturarum oraculis, Sacrorum Conciliorum definitionibus, & communi Patrum conſenſu. Vide Bann. & Mol. ſuper hoc. & Suar. lib. 11. de Trinitate, cap. 3.

Secundo obſerua cum Caiet. fundamentum diſcurſus conſiſtere in ea particula ſecundum ſimilitudinem, qua ſupra art. 2. poſita eſt in diſtinctione generationis. Nam ex hoc quod proceſſio, qua attenditur ſecundum rationem intellectus, eſt ſecundum rationem ſimilitudinis, deducit D. Th. eam poſſe habere rationem generationis: quia (inquit) omne generans generat ſibi ſimile; & ex eodem principio negatiue ſumpto probat proceſſionem ſpiritus S. qua eſt ſecundum rationem voluntatis, non eſte generationem, & ſpiritum S. non eſte genitum aut filium: quia ſcilicet hæc proceſſio non eſt ſecundum rationem ſimilitudinis. Vbi ſpeculanda eſt ars Angelici noſtri Doctores in modo loquendi; Nam ex eo principio affirmatiue ſumpto, non deducit proceſſionem ſecundum intellectum, eſte generationem, ſed poſſe eſte generationem: ſi nimirum cetera nõ deſint conditiones ad rationem generationis requiſitæ. Ex eodem verò principio negatiue ſumpto deducit abſolute ſpiritum S. non procedere vt genitum ſiue vt Filium; quia ad rei quidditatem ſiue rationem formalem ab aliquo negandam ſiue deſtruendam, ſufficit vnus particulæ negatio vel defectus. Quia rerum diſtinctiones ſiue rationes formales ſunt ſicut numeri, quibus nihil tam parum poteſt addi vel minui, quin varietur ſpecies, vt ait Philoſ. in 8. Meth. text. 10. Ad negandam igitur rationem generationis à proceſſione ſpiritus S. ſatis fuit defectus illius conditionis ſiue particulæ ſecundum ſimilitudinem, vt hic etiam aduertit Caiet. Quamuis prædictum modum loquendi non obſeruauerit.

PRIMA CONTROVERSIA.

An ſuppoſita veritate fidei de diſtinctione reali, tam Filij à ſpiritu ſancto, quam proceſſionis Filij à proceſſione ſpiritus ſancti, poſſit ratione aliqua ſufficienti probari proceſſionem Verbi eſte generationem, ac Verbum ipſum eſte genitum & Filium: Proceſſionem autem ſpiritus ſancti non eſte generationem, & ſpiritum ſanctum non eſte genitum ſiue Filium?

RATIO dubitandi eſt; quia quemadmodum vt proceſſio aliqua ſit generatio; neceſſaria eſt ſimilitudo producti ad producentem abſolute: ita requiritur vt ea ſimilitudo ſit ſecundum eſte naturale ſpecificum; igitur ſicut ob defectum illius conditionis, qua eſt eſte ſecundum rationem ſimilitudinis, proceſſio amoris non eſt generatio; ita propter defectum illius alterius conditionis, vt ſcilicet ſimilitudo ſit ſecundum eſte naturale ſpecificum, proceſſio verbi non erit generatio; at proceſſio verbi ex ratione ſua non habet, vt ſit ſecundum ſimilitudinem in eſte naturali; alioquin verbum lapidis in humana mente haberet eſte lapidis naturale; ergo neque proceſſio verbi diuini eſt ſecundum rationem ſimilitudinis in eſte naturali formaliter, nec propriè poterit dici generatio. Et confirmatur: Quia ſicut verbum diuinum non eſt ſimile in natura vt verbum procedens ſecundum emanationem intellectus abſolute, ſed vt procedens ſecundum emanationem intellectus diuini, in quo intelligere idem eſt quod eſte; ita amor vt ſic non habet, vt ſit ſimilis in natura, ſed quatenus procedit per volitionem diuinam, qua eſt idem quod eſte diuinum, ſic procedit vt ſimilis in natura. Confirmatur ſecundo: Quoniam ſicut Filij ex vi ſue proceſſionis procedit vt Deus, & conſequer

Ratio dubitandi.

Conf. 1.

Conf. 2.

ut similis in natura, ita & Spiritus S. ex vi propriae suae processionis procedit ut Deus, & consequenter ut similis in natura. Ex his igitur apparet eadem ratione processionem Spiritus S. esse generationem, quia est processio Filij, vel si illa non est generatio: nec etiam hanc dici aut posse esse generationem.

Sensus quaestio.

ANTEQUAM sententias Expositorum referamus, distinguendus est sensus qualiti, qui potest esse triplex. Primus est: An possit assignari ratio quae supposita fide distinctionis diuinarum processionum ostendat euidenter differentiam inter eas quo ad rationem generationis: & in hoc sensu perspicuum habet solutionem. Nam sicut euidentem harum processionum rationem, aut intelligentiam habere non possumus; ita nec valemus earum differentiam euidenter agnoscere. Secundus sensus est: An supposita fide, quod processio verbi sit generatio & processio Spiritus sancti non sit generatio sed spiratio, possit afferri ratio demonstratiua, per quam ostendatur Spiritum sanctum non esse genitum? Et in hoc sensu, qui parum differt à precedenti, quaestio soluitur ab Aug. lib. 15. de Trin. c. 27. Athan. in Epistola ad Serapionem, Amb. lib. 1. de Fide c. 3. Damasc. lib. 1. fidei Orth. c. 10. dicente se rationem ignorare, modum ac differentiam nescire generationis & processionis. Tertius igitur sensus est: An supposita fide mysterij diuinarum processionum possit homo viator medium aliquod excogitare, quo probabilis esse demonstraretur & firmiter etiam aduersus infidelium sophismata defendatur haec doctrina fidei, nimirum differentia praedicta inter processionem Verbi & processionem Amoris: & quae sit optima ratio, cur illa sit & dicatur generatio, haec verò minime. Et hic est sensus examinandus in proposita controuersia.

Sententia Doctorum.

MVLTAE fuerunt ab antiquis Ecclesiae Patribus & à Scholasticis Theologiae doctoribus rationes probabiles excogitatae, quibus diuinarum processionum differentiam secundum rationem generationis & spirationis, nituntur ostendere: quas distincte referunt & examinant Ban. hic dub. 1. post argumenta, Zum. dissertatione 1. concl. 4. Val. puncto 4. Vasq. infra art. 5. c. 3. & sequentibus. Suarez lib. 11. de Trinitate c. 5. & alij. Ex interpretibus verò D. Thom. tres colliguntur sententiae; prima est Turriani siue Torrensis Episcopi, qui supra a. 2. in 4. p. Com. censet ideo verbum Dei esse Filium & eius productionem esse generationem; quia de ratione Filij est ut procedat à Patre, non solum ut similis in natura, sed etiam per modum imaginis: verbum autem procedit à Patre dicente per modum imaginis. Et quia processio Spiritus S. est secundum rationem voluntatis, secundum quam id quod procedit non procedit per modum imaginis, quamuis procedat per modum similitudinis ex vi suae processionis; idcirco productio Spiritus S. non est generatio, nec Spiritus S. est genitus siue Filius. Eandem sententiam sequitur Vasq. infra a. 5. c. 7. dicens Spiritum S. ex vi suae processionis procedere ut similem in natura. Quam etiam approbat Zum. licet postea in eadem dissertatione illam impugnet. Haec opinio non videtur displicuisse Pefantio.

SECUNDA sententia est Suar. loco superius allegato dicentis verbi productionem in Deo esse generationem; quia diuina natura est intellectus per essentiam, & actualis intellectus est quasi formale eius constitutum; verbo autem diuino formalissime communicatur intellectus, ut intellectus est, eo ipso quod per intellectum

A producit ut verbum: atque ideo formaliter etiam communicatur ipsi natura illa secundum propriam rationem formalem talis essentiae & naturae ex vi suae processionis, sed amor ex ratione sua est tanquam quid consequens intellectum: licet vniuersaliter appetitus consequitur esse rei; & ideo formaliter non censetur constituere naturam rei, sed illam constitutam comitari. Et ex hac ratione differenti deducitur verbi processionem esse generationem, & verbum esse Filium: processionem autem amoris non esse generationem nec amorem siue Spiritum S. esse Filium. Hunc dicendi modum, quem sequitur Pefantius super hoc articulo, excogitauit Zum. in allegata dissertatione, in capite incipiente B Quae diximus, in fine, cuius inscriptio est. Defensio rationum S. Thom. &c. quibusdam tamen exceptis, & desumptis videtur ex doctrina Caiet. in quest. 12. a. 2. & q. 14. art. 4. & expressius art. 2. huius quaestiois. Quamuis Suar. omittat nonnulla & quadam addat, ex quibus apparet illius sententiam longè distare à mente D. Thom. & Caiet.

TERTIA sententia est D. Thom. in hoc a. & alibi saepe, quam latè explicat Caietanus & alij Thomistae, ac praesertim Zum. super hoc articulo & Ferr. in 4. cont. gent. cap. 11. Qui omnes docent processionem verbi esse generationem in Deo, quia est secundum rationem similitudinis in eadem natura; & verbum esse genitum, quoniam ex vi suae processionis procedit ut similis in eadem natura; processionem autem Spiritus sancti non esse generationem, quia non est secundum rationem similitudinis: nec Spiritum S. esse genitum, quoniam ex vi suae processionis non habet ut sit similis in natura suo principio.

Resolutio.

TAMETS I recentiores in hac Contr. verba multiplicent & difficultates exaggerent; nobis tamen sufficienter pauca quadam principia ex ipsius rei, de qua disputamus, natura deprompta ac bene perpena: ut inspecta (quantum materia patitur) veritate, non ea tantum argumenta diluamus, quae communi Sanctorum Patrum & Scholasticorum ac fidei doctrinae sunt infensa: sed etiam illa quae modum dicendi D. Thomae ac discipulorum eius videntur infringere. Suppositis igitur ijs quae supra diximus de diffinitione generationis in 2. art.

CONSIDERANDUM est primum ex D. Th. de potentia q. 10. a. 2. distinctionem diuinarum processionum sumi non posse ex parte attributorum siue perfectionum, quae per ipsas processionem communicantur personis procedentibus. Nam sicut personae procedenti secundum rationem intellectus communicat Pater, quidquid habet scilicet naturam, intellectum, voluntatem, potentiam & quidquid absolute dicitur; ita personae procedenti secundum rationem voluntatis, quae est Spiritus S. eadem numero communicatur natura, cum omnibus attributis & perfectionibus: adeo ut sicut tres personae diuinae sunt unus Deus: ita sint una diuinitas, unus intellectus, una voluntas, una virtus &c. Cum igitur ex perfectionibus communicatis sumi non possit ea processionum distinctio formalis, de qua loquimur: necesse erit illam accipere ex diuerso modo communicationis & acceptionis eiusdem naturae siue ex diuersa ratione formali, sub qua natura communicatur & accipitur. Quemadmodum etiam in rebus creatis inuenitur eiusdem specie naturae diuerso modo & sub diuersa ratione facta communicatio. Nam leonis natura quae per creationem fuit in principio duobus eiusdem suppositis à Deo com-

D 2 muni-

municata, eadem per generationem perpetua A
 successione communicatur nascentibus; Et quā-
 vis hæc cum illis sint eiusdem nature: illorum
 tamen productio creatio est, non generatio; si-
 cut è contra, horum productio est generatio &
 non creatio; & quæ priori illo modo procedunt,
 creata sunt non autem genita; quæ autem hoc
 posteriori modo ducunt originem, genita nun-
 cupantur & non creata formaliter & immedia-
 te. Sicut etiam si Petrus ex proprio semine, sicut
 ex alia quavis sui corporis parte, diuina virtute
 formaret hominẽ, eo modo quo formatur à figu-
 lo vas ex luto: & præterea naturali generatione
 produceret alium hominem; prioris productio
 non esset generatio, sed posterioris tantum; nec
 prior diceretur genitus aut Filius, sed posterior:
 quamvis uterque ab eodem principio materiali-
 ter coniuncto, eandem specie naturam accipiat;
 quia nimirum diuerso modo & sub diuersa rati-
 one formali naturam accipiunt. Sic igitur in pro-
 posito per vtramque processionem tota commu-
 nicatur natura, cum omni sua perfectione: non
 tamen idem est modus siue ratio formalis com-
 municationis in vtraque; cum vna sit secundum
 rationem intellectus, alia verò secundum ratio-
 nem voluntatis; ea quæ est secundum rationem
 intellectus, est secundum modum & rationem
 formalem similitudinis; quæ verò est secundum
 rationem voluntatis, est secundum modum &
 rationem formalem impulsus; vt perspicue pro-
 bat discursus præsentis articuli. Nam quamvis
 nulla sit actualis distinctio inter intellectum &
 voluntatem, neque inter huius & illius opera-
 tionem essentialẽ, quæ sunt intelligere & vel-
 le; distinguuntur tamen communi illa distin-
 ctione virtuali, qua cætera omnia distinguuntur
 attributa diuina; ex quo sequitur vt verbum, qui
 terminus est intellectus intrinsecus, produ-
 catur intellectione formaliter, non volitione; &
 consequenter vt procedat per modum similis, &
 non per modum impulsus, atque ideo dicatur
 Filius; amor autem qui terminus est volitionis
 intrinsecus, producat voluntate formaliter &
 non intellectione, & propterea dicatur Spiritus,
 non autem Filius; Et hoc est quod communiter
 dicimus, verbum ex vi suæ processionis habere
 vt sit simile, & ideo d. ei. genitum & Filium; a-
 morem autem siue spiritum sanctum, quamvis
 sit similis suo principio, non habere tamen ex vi
 suæ processionis vt ei sit similis: quia non pro-
 cedit vt similis, sed vt impulsus. Nam procedens
 habere aliquid ex vi suæ processionis, est habere
 illud sub ea ratione formali, sub qua processio
 tendit ac terminatur ad id quod procedit, siue
 tanquam processionis formalem terminum. Et
 ex his apparet particulam illam siue declaratio-
 nem ex vi suæ processionis, necessariam esse ad ratio-
 nem generationis, nec sufficere vt sit à principio
 coniuncto, vt arbitratur Vasq. a. 5 c. 6.

Sed opera præcium est primam dictæ differen-
 tiæ radicem ex vtriusque virtutis scilicet intel-
 lectus & voluntatis natura & vnitatem cum eorū
 obiectis inuestigare. Ad cuius euidentiam.

Assignatur Secundo aduertendum est quamlibet intellectus
ratio diffe- operationem dependere ex intellectuua potentia
rentia pro- & eius obiecto, vt constituentibus vnum totale
cessione in- principium illius productum, & eius intrin-
tellectum, seci termini scilicet verbi; quod idem propor-
voluntatis, tionaliter dicendum est de operationibus volū-
ex differen- tatis, vt supra notauimus. Nam voluntas & eius
ti modo v- obiectum scilicet bonum apprehensum per intel-
nimis ob- lectum, constituunt vnum totale productum
iecti vt ra- amoris; quamvis valde differenter, vt ante

diximus, & statim latius explicabimus. Cōcur-
 runt autē ad dictas operationes obiecta vt ratio-
 nes agendi, à quibus specificantur operationes
 ipsæ, tamquam ab earum principijs. Quemad-
 modum calefactio ab ignis calore producta, ab ip-
 so calore vt formali principio siue ratione agē-
 di specificatur iuxta doctrinam D. Th. 12. q. 1. a.
 3. Sed differentia est inter obiectū intellectus &
 voluntatis, quo ad constitutionem vnius totalis
 principij operationis productiui; Nam, vt sæpe
 diximus, obiectum ita coniungitur intellectui,
 vt ex ipso & intellectu fiat magis vnū in esse in-
 telligibili, quam fiat ex materia & forma in esse
 naturali intellectus enim fit ipsum intelligibile,
 & è conuerso; materia verò non fit forma.

Inest igitur intelligibile intellectui magis in-
 timè, ac maiori cum vnitatem, quam per informa-
 tionem, quæ materialiter, ac per accidens inter-
 uenit in intellectu creatæ; quæ alio modo fieri
 nõ potest, nisi suscipiendo speciẽ ab obiecto, qua
 specificatur & informatur intellectus; sed hoc
 per accidens est respectu operationis intellectus,
 quæ per se requirit vnitatem identitatis ipsius
 intellectus cum intelligibili; & de hoc multa di-
 ximus supra cū Cai. q. 14. a. 1. Contr. 1. Bonū au-
 tem cognitū, quod est obiectū voluntatis, non
 ita coniungitur cū ipsa voluntate, vt fiat volun-
 tas ipsa, & è contra: neq; per aliquam speciẽ siue
 similitudinem, aut per se ipsum inest volūta-
 ti, vel eā informat, vt simul cū ea constituat vnū
 amoris principij; sed per apprehensionem siue
 secundum esse intelligibile reisdēs in intellectu,
 ratio est agendi voluntati; bonū enim apprehē-
 sum vt sic effectiue mouet voluntatem: Quod
 quomodo fieri possit, optime declarat Caieta-
 nus *infra* q. 80. a. 2. & Ban. *ibidem*. Et ex hac dif-
 ferentia sequitur alia, nimirum vt quod secundū
 rationem intellectus procedit, sit ex vi suæ pro-
 cessionis simile totali suo principio constituto
 ex intellectu & intelligibili; Obiectū enim quod
 est formale principium & ratio agendi, verè se-
 cundū rem coniungitur in esse reali intelligibili
 cū intellectu, ad integrandū vnū agens; quod au-
 tem procedit secundum rationem voluntatis, nõ
 habet ex vi talis processionis, vt sit simile totali

suo principio constituto ex bono apprehenso
 per intellectum & voluntatē: quoniam, vt dixi-
 mus, bonum apprehensum ac volitum, nõ inest
 realiter voluntati, neq; per se ipsum neque per
 aliquam sui similitudinem, sed est in intellectu
 tantum; atque ideo non est ratio agendi in ratio-
 ne rei sed vt cognitum; Ex hoc autem quod ali-
 quid cognoscitur tale, non sequitur per se ac ne-
 cessariò aliquid simile illi: sed per se apta nata est
 sequi in illud inclinatio voluntatis; quia bonū
 cognitum aptum natum est mouere voluntatē &
 eam actu mouet, cum intellectu per vltimum
 practicum iudicium illud iudicauerit appeten-
 dum; vt ostendimus supra q. 19. a. 10. Cum autem
 dicimus cognitionem esse causam amoris, sensus
 est: Bonum vt stat sub cognitione esse causam a-
 moris, vel cognitionē ratione sui intrinseci ter-
 mini quod est bonum cognitum vt sic, esse cau-
 sam amoris; Et per hoc diluitur caquillus Radæ
 contra Cai. Contr. 14. a. 1. Et hæc est differen-
 tia, quam statuit Cai. in hoc a. inter intellectum
 & voluntatem; quam explicauimus in præcedenti
 articulo in postrema parte primæ dubitationis.

Iam verò ex his, quæ communia sunt, ad ea,
 quæ diuinarum processionum propria sunt, ex-
 plicanda mentis aciem, & stylum dirigamus.

Sciendum est igitur tertio Deo maxime ac per-
 fectissime vitam conuenire: quoniam, vt ait Phi-
 loso-

*Ratio cur
 processio
 Ioso-*

verbi, non autē amoris sit secundū rationē similitudinis in eadē natura: Ex qua satisfit eū rationi dubitandi.

lofophus in 12. *Diuinorum tex. 39.* Deus est ipsa A vita; quod ita probat: Actus intellectus id est intelligere vita quaedam est, & perfectissimū quod est in vita; sed Deus est ipse actus: nam intellectus eius est ipsum suum intelligere, & eius substantia est actus; ergo ipsa substantia Dei est vita, & actus eius est vita ipsius optima & sempiterna, quae est secundum se subsistens; ex quo sequitur, formale constitutum diuinæ naturæ modo nostro intelligendi, esse ipsum intellectus actum: iam autem supra 4. 2. diximus esse verbi consistere in intelligi, quod idem est cum ipso intelligere, per quod intelligere verbum procedit, igitur verbo communicatur intelligere, hoc ipso quod per intellectum procedit. Cum igitur intelligere Dei sit eius essentia siue natura ac esse substantiale, consequens est ut verbo diuino per actum intellectus communicatione formaliter diuina natura siue essentia & esse substantiales ac proinde verbi processio sit generatio, & verbum ipsum sit genitum ac Filius; sic enim ex vi suæ processio formaliter accipit eandem naturam, quæ est in dicente: & consequenter ex vi suæ processio habet ut sit similis suo principio secundum identitatem naturæ eidem, intellectu ut intellecti est, communicata; quod non aduertit Suarez in suo illo satis prolixo discursu. Amor autem, cum ex ratione sua non procedat ut similis, quamuis per actum voluntatis eandem numero naturam accipiat, C per quam verè ac perfectè similis est suo principio, non dicitur genitus aut Filius. Quod autem ex sua ratione procedat ut quid consequens intellectum, quæ est ipsa natura & esse Dei, non est causa propria cur non sit genitus; cum ita consequatur naturam ut sit idem quod ipsa natura & eius processio sit ipsius naturæ diuinæ communicatio, quamuis non intelligatur actus amandi ut diuinæ naturæ constitutus; sed hoc ad tollendam rationem generationis non sufficeret, si non deesset prædicta particula, scilicet *secundum similitudinem*. Nam in viventibus, quæ apud nos sunt, in quibus propriissimè est generatio, actus naturæ communicatus non est naturæ constitutus; sed eam sequitur media potentia realiter à natura profluente & ab ea distincta. Vnde facile posset totus ille Suarezij discursus eludi dicendo verbum, quatenus est prima persona procedens, esse per actum intelligendi naturæ constitutum: amorem autem esse per actum eandem naturam consequentem, quatenus est secunda persona procedens; & cum per utrumque actum communicetur natura, utramque etiam personam procedentem esse genitam. Optimus igitur est dicendi modus, quo S. D. hic vitur, ad probandum processionem amoris non esse generationem; quia scilicet amoris processio non est secundum rationem similitudinis, sicut processio verbi. Ad cuius euidentiam suppositis ijs quæ hucusque diximus.

Quartò obseruandum est ex Ferrariensi in 4. *contra gentes cap. 11.* quem alij recentiores sequuntur interpretes, dupliciter posse considerari processionem verbi diuini. Vno modo absolute & quasi genericè, quatenus scilicet est verbi processio abstrahendo ab hac & ab illa, puta humana, angelica & diuina. Alio modo, quatenus est talis species processionis verbi, quæ scilicet est omnium perfectissima; utpote quæ perfectissimam cognitionem includat ac proinde ad verbum perfectissimum, ut terminum eius intrinsecum terminetur. Si priori modo consideretur processio, non habet, ut sit generatio, licet sit secundum ratio-

nem similitudinis: quia ea similitudo non est secundum esse naturale eiusdem speciei, sed tantum secundum esse intelligibile: Vnde processio verbi in intellectu nostro non est generatio, etiam quando anima producit verbum de sui cognitione, quia verbum illud est accides, anima verò est substantia. At posteriori modo, quatenus scilicet processio verbi est perfectissima, verè ac proprie generatio est, longè perfectiori modo, quæ quamuis alia viventium generatio, ut explicat D. noster A. in dicto 11. 6. Nam ex communi ratione processionis verbi producti, ex ea cognitione qua cognoscens se ipsum cognoscit, conuenit verbo diuino ut sit simile producenti: ex summa verò perfectione processionis idem sibi vendicat esse naturale cum producere. Nam, ut ante diximus, intelligere quod est esse verbi, intellectus & speciei, in Deo est eius essentia & esse naturale ac Deus ipse. At amoris diuini processio, siue sumatur in communi, siue ut perfectissima species amoris, non habet ut sit secundum rationem vel modum similitudinis neque ut procedens tali processione, quatenus sic procedit, sit formaliter simile. Nam processio amoris ut sic & consequenter omnes eius per se differentie sunt secundum rationem impulsus, non autem secundum rationem similitudinis; Processio autem verbi ut sic & omnes eius per se differentie sunt secundum rationem similitudinis, & consequenter processio verbi perfectissima est secundum rationem perfectissimam similitudinis, quæ est in eadem essentia & in eodem esse substantiali. Nā quantò perfectior est verbi processio, tantò verbum procedens intimius est, ac magis unitum intelligenti; quare si fuerit infinita perfectionis verbi processio, erit etiam summo ac perfectissimo modo possibili verbi cum intelligente coniunctio; hæc verò est, ut una numero sit ipsius verbi ac dicentis essentia; qui discursus desumitur ex primo a. huius q. in resp. ad 2.

Quod autem diuinus amor sit eiusdem naturæ cum producere, non habet ex vi suæ processionis, ut processio est amoris formaliter, sed tantum quatenus diuinus est & eius processio diuina, siue in Deo, in quo omnia sunt idem quod Deus & eius essentia. Ad cuius euidentiam lege quæ scribit Cai. *infra q. 35. a. 2.* de duplici modo distinguendi siue contrahendi amorem scilicet per differentias per se & per differentias extraneas; qui desumitur ex doctrina Arist. 7. *Metaph. tex. 43. & lib. 1. de partibus an. cap. 3.* Vnde Spiritus S. ex vi suæ processionis formaliter ut scilicet processio est secundum rationem voluntatis siue amoris, non habet ut sit Deus: sed id tantum habet ex vi suæ processionis materialiter & identicè, quatenus scilicet diuina est; nec Spiritus S. formaliter ut Spiritus est, Deus est; sed quatenus in Deo est in quo omnia Deus sunt.

Ex dictis patet responsio ad rationem dubitandi in principio positam: Nā licet processio verbi diuini secundum rationem quasi genericam, quatenus scilicet est processio verbi, non habeat ut sit secundum similitudinem in esse naturali: hoc tamē habet ut est processio verbi perfectissima; quatenus dictio illa *perfectissima* significat differentiam per se contrariam verbi ad talē speciem, quæ est omnium perfectissima. Vbi aduerte similitudinē hic sumi fundamentaliter, sic enim est ratio à priori, quod processio sit generatio: nā si sumatur formaliter scilicet pro relatione, posterior est generatione & ad eam sequitur.

Postremo notandum est similitudinem ad imaginem comparari ut magis commune ad minus

Solutio rationis dubitandi.

Explicatur ratio imaginis.

Similitudo commune, vel ut genus ad speciem, sumendo vtrumque, scilicet similitudinem & imaginem fundamentaliter; omnis enim imago est similitudo sed non è contra. Nam similitudo dicitur conuenientiam in qualitate; & si fuerit perfecta erit in vna qualitate specifica. Qualitas autem hic late sumitur prout extenditur ad formas & differentias, siue rationes rerum essentielles; Imago verò postulat conuenientiam in specie, vel saltem in signo speciei, & addit etiam originem ex ea re, cuius est imago. Vnde licet vnum ouis sit alteri perfecte simile, non est tamen eius imago; quia non est de illo expressum, vt ait S. Th. *infra q. 35. a. 1. ex Aug.* Et quamuis prædicta differentia vera sit absolute loquendo; in materia tamen diuinarum processionum idem est procedere secundum rationem perfectæ similitudinis, & procedere secundum rationem imaginis; nam processio viuientis secundum rationem perfectæ similitudinis claudit formaliter omnia requisita ad processionem secundum rationem imaginis; quoniam hoc ipso quod est processio viuientis est etiam origo; omnis enim processio viuientis à viuente est origo, & è contra; quæ origine supposita omnis perfecta similitudo, quæ scilicet est secundum speciem, est imago; igitur in diuinis non distinguitur processio per modum similitudinis, à processione per modum imaginis. Vnde S. D. *in a. 2. dicta q. 35.* probat filium esse imaginem; quia procedit per modum similitudinis; & Spiritum sanctum non esse imaginem; quia non procedit per modum similitudinis. Vnde SS. Patres, Greg. Nazian. Athan. Aug. Anf. & alij, quos refert Vasq. *c. 2. & Torres loco allegato*, non distinguunt inter imaginem & similitudinem habitam ex processione, vt etiam aduertit Suar. Rectè igitur probat S. D. processionem Spiritus sancti non esse generationem; quia non est secundum modum similitudinis, sicut processio verbi. His adde æquè ineuidens esse Spiritum S. non esse imaginem ac non esse genitum; immò magis certum esse Spiritum S. non esse genitum, quam non esse imaginem. Nam Græci primum catholicè confitentur; secundum autem negant; dicunt enim Spiritum S. esse Patris imaginem; Non igitur ita rectè probatur Spiritum S. non esse genitum; ex hoc quod non est imago; sicut idè probatur, ex hoc quod non procedit vt similis.

Contra Torrensem, & Vasquez.

Nec verum est quod ait Torres & post eum Vasq. ad rationem imaginis non sufficere similitudinem ex vi processionis, sed necessariū esse vt res, quæ dicitur imago, procedat similis ad representandum; atque ideo verbum esse imaginem, quia & simile est & ad representandum procedit: Spiritus S. autem non procedere ad representandum; quamuis procedat vt similis ex vi processionis; & ideo non esse genitum siue Filium. Nam res dicitur procedere ad representandum, vel ex intentione expressa artificis, sicut imagines scilicet vel depictæ: vel ex intentione naturæ, quando scilicet res talis procedit vi suæ processionis, vt eo ipso representet id à quo procedit; sicut Filius est imago substantialis Patris ad representandum producta; At Spiritus S. ex vi suæ processionis talis procedit, vt eo ipso representet principium à quo procedit scilicet Patrem & Filium; ergo Spiritus sanctus procedit ad representandum, & consequenter est imago; quod tamen rectè negat Vasquez cum D. Th. & Patribus Latinis. Maior est Vasq. *in dicto c. 7.* Minor probatur ex eiusdem & Torrensis sententia; quia Spiritus S. ex vi suæ processionis est similis suo principio; ergo ex vi suæ processionis procedit talis,

vt eo ipso representet suū principium; ergo procedit ad representandum. Antecedens est dictorum expolitorum. Prima consequentia probatur. Quia omne perfecte simile tale est, vt eo ipso representet suum principium; igitur si Spiritus S. ex vi suæ processionis est perfecte similis, sequitur vt ex vi suæ processionis sit talis, vt eo ipso representet suum principium. Secunda verò consequentia probatur ex prædicta maiori, quæ est propositio Vasq. Et confirmatur vis argumenti. Quia Filius non alia ratione dicitur representare Patrem & esse imago illius; nisi quia à Patre procedit per actionem vi suæ naturæ communicatiuā; At hoc est procedere per modum similis ex vi suæ processionis; igitur ex hoc ipso, quod aliquid procedit per modum similis, procedit ad representandum, & consequenter etiam vt imago; quod non admittunt prædicti expolitores.

Sed respondet Vasq. in humanis ex eo solum dici aliquem filium, quod habeat eandem naturam cum producente: quia in hoc solum est fundamentum relationis imaginis, in quo sufficienter saluatur ratio filij: Nam ex sola (inquit) similitudine naturæ producti cum producente, si sit intellectus, cui representare possit, nascitur ratio formalis imaginis; At in Deo sola similitudo naturæ producti cum producente non constituit rationem filij: quia hæc sola similitudo non est sufficiens fundamentum relationis imaginis, sed requiritur etiam proprietas verbi, quatenus est per intellectum: ideo enim Patri verbum representat, non quia habeat eandem naturam cum illa (sic enim & Spiritus sanctus representaret) sed quia est eiusdem naturæ, & eam habet coniunctam cum verbi proprietate producti per intellectum. *Sed hæc voluntaria*, ac friuola sunt; Nam quamuis diuinum verbum supra commune modum representandi qui est per similitudinem eiusdem naturæ cum producente, singularem habeat representandi modum; adhuc tamen Spiritus S. verè & perfecte representabit suū principium propter naturæ identitatem cum eo, & multo magis quam quilibet Filius in humanis Patrem representet, propter maiorem naturæ identitatem, quam habet Spiritus S. cum suo principio, quam quilibet filius humanus cum Patre. Et confirmatur quia Spiritus sanctus secundum dictos expolitores ex vi suæ processionis eandem habet naturam intellectualem & intelligibilem & actum intellectionis cum Patre & Filio; ergo etiam ex vi processionis habet veram & perfectam representationem.

Huius argumento respondent, de ratione imaginis esse vt alicui representet: Spiritum Sanctum autem nulli representare Patrem & Filium; quia nec illi cognoscunt se in Spiritu S. nec etiam Spiritus S. eos in se ipso cognoscit. *Sed hæc responsio confut.* falsa est quo ad vtramque partem. Nam vt ait S. Th. *in 1. dist. 28. q. 2. a. 1.* Ratio imaginis consistit in imitatione, vnde & nomen imaginis sumitur; dicitur enim imago quasi imitatio; at imitatio perfecta esse potest, antequam alicui representet; quoniam imitatio ex representatione non dependet, sed è conuerso; ergo etiam imago ab actuali representatione non dependet, sed è contra. Falsa est etiam altera pars responsionis; nam licet Pater non intelligat seipsum Filio, nec Spiritu S. intelligit tamè seipsum in Filio & in Spiritu S. in quibus est secundum essentiam, secundum relationem & secundum originem, vt probat S. Th. *infra q. 42. a. 5.*

Secundo respondent, quod sicut ignis ab igne procedens non representat ignem à quo procedit

Responsio Vasquez.

Confut.

Prima Responsio.

Secunda Responsio.

cedit nec est eius imago; quia licet sit similis, non est tamen similior alijs; ita Spiritus sanctus non repræsentat Patrem nec est eius imago; quia non est similior illi quam Filius, nec habet rationem verbi sicut Filius. *Sed hac responsio falsum implicat vel supponit, nimirum esse de ratione repræsentatiui & imaginis, ut magis assimilatur suo principio quam alijs. Nam quandoque filius maiorem habet similitudinem cum fratre quam cum Patre, & tamen non est fratris imago sed Patris, & Patrem per se repræsentat non autem fratrem; sicut quilibet effectus similis vniocæ suæ causæ, illam per se repræsentat, non autem alium eidem causæ & effectui æquæ similem. Propria itaq; ratio, cur Spiritus S. processio non sit generatio, ea est quam ex doctrina S. Tho. & eius schola superius assignauimus.*

*Conclusio-
nes deduc
tæ, & pro
batae.* PRIMA CONCL. Spiritus S. ex vi suæ processio-
nis formaliter non procedit ut similis.

SECUNDA CONCL. Ratio propria cur processio
verbi sit generatio, non autem processio Spiritus S. non
est: quia Filius procedat per modum imaginis, non au-
tem Spiritus S. accipiendo imaginem in eo sensu, quo ex-
plicatur a prædictis expositioribus. Probatur hæc con-
clusio. Quia imago sic explicata posterior est ra-
tione generationis, & ad eam sequitur sicut effe-
ctus ad causam; non igitur potest esse propria ra-
tio generationis. Antecedens probatur; quia prius
est esse genitum quam repræsentare alicui, quod
esse de ratione imaginis oppositæ sententiæ defensores. Secundò quia ratio imagi-
nis sic explicata communis est utrique processio-
ni & procedenti, ut superius ostendimus ex prin-
cipijs aduersariorum.

TERTIA CONCL. Ratio prædictæ differentie
inter processionem Filij & Spiritus S. non est ex hoc præ-
cise, quod intellectus, quæ est quasi constitutum diuine
naturæ, communicetur verbo formalissimè; amor verò
diuinus ex ratione sua sit tanquam quid consequens di-
ctam intellectionem. Hæc patet ex dictis contra sen-
tentiam Suar. Et probatur ex diffinitione gene-
rationis, quæ est origo viuientis, &c. prout supe-
rius explicauimus ex D. Th. & Arist.

QUARTA CONCLUSIO. Ideò processio verbi
diuini generatio est, non autem processio Spiritus S. quia
illa est secundum rationem suæ modum similitudinis
fundament aliter in eadem natura; hæc verò minime.
Probatur hæc conclusio. Processionem esse secun-
dum rationem similitudinis fundamentaliter
nihil aliud est, quam processionem esse acceptio-
nem eiusdem naturæ ex vi ipsius processionis; at
hæc est propria ratio generationis; ergo. Maior
patet ex ratione similitudinis fundamentaliter
accepte, quæ nihil aliud est quam forma siue na-
tura duorum vel plurium, quatenus in eis habet
vnitatem specificam vel genericam vel saltem a-
nalogicam. Minor probatur ex diffinitione ge-
nerationis superius exposita, quæ est origo vi-
uentis à viuente coniuncto in similitudinem na-
turæ.

*Argum. &
solutiones.* CONTRA primam concl. sunt arg. quæ propo-
nunt & soluunt Cai. Ferr. & alij nostri temporis
expositores; ex quibus Zum. latissimè ac diligen-
ter omnia tam antiquorum quam recentiorum
argumenta refert & soluit.

*Vasq. obi.
concl.* CONTRA eandem conclus. argum. Vasq. Primò:
Vel Filius procedit similis in natura ex vi pro-
cessionis quatenus est per intellectum ex vi pro-
cessionis quatenus est per talem intellectum; Non quatenus
per intellectum; Sic enim omnis processio per
intellectum esset generatio; ergo quatenus est
per talem intellectum: at Spiritus sanctus ex vi
talis processionis procedit similis in natura; er-

A gò Spiritus S. non erit minus genitus quam Fi-
lius. *Resp.* Cum dico talem intellectum & ta-
lem processionem, dictio illa *talem* significat
differentiam contractiuam intellectus & pro-
cessionis; quæ differentia potest esse duplex, sci-
licet per se distinguens & contrahens intellectum
ut intellectus est, prout distinguitur per differ-
entias intellectualitatis formaliter, quæ sumitur
in ordine ad actus intelligendi, & obiecta ut
obiecta sunt: & sic distinguuntur intellectus se-
cundum diuersos modos quibus respiciunt &
sunt ipsum intelligibile, vel ut purus actus, sicut
intellectus diuinus, vel medio modo inter actum
& potentiam, ut intellectus Angelicus, vel ut pu-
ra potentia, sicut intellectus humanus, ut ait Ca-
ietanus *infra q. 79. a. 7. de qua re multa diximus q.
12. a. 1. Controu. 1.* Potest etiam intellectus contra-
hi per differentias per accidens siue extraneas,
ut cum distinguitur in diuinum, Angelicum
& humanum; quoniam subiecta hæc non di-
cunt formaliter diuersas rationes intellectu-
alitatis ut sic: Similiter processio aliqua, puta vo-
luntatis, potest dici talis dupliciter. Primò ut di-
ctio *talis* significet differentiam per se & for-
maliter contractiuam & constitutiuam speciei
processionis: & sic distinguitur per differentias
& modos impulsus; ut cum distinguitur in amo-
rem amicitiae & amorem concupiscentiae &c. Se-
cundò potest distingui & contrahi per differen-
tias accidentales siue extraneas; ut cum distin-
guitur in processionem quæ est amor diuinus,
& in eam quæ est amor Angelicus, & in eam
quæ est amor humanus. Sunt enim hæc differen-
tiæ subiectorum, non autem impulsus ut
sic, qualis est processio voluntatis. *Huius præmissis
ad argumentum dico primò, Filium procedere si-
mitem in natura, quatenus eius processio est per
talem intellectum, qui scilicet est talis per diffe-
rentiam per se intellectus, ut intellectus est, quæ
in proposito constituit intellectum perfectissi-
mum, cuius intelligere est eius esse & verbi pro-
cedentis: & consequenter eius processio formaliter
est secundum perfectissimam similitudinem,*
quæ est in eadem numero natura; & quod tali
processione procedit, habet ex vi suæ processio-
nis per se & formaliter ut sit simile, & sit genitum
& Filius. Dico secundò Spiritum S. ex vi talis pro-
cessionis voluntatis, quæ si constituitur per diffe-
rentiam per se processionis voluntatis, quæ pro-
cessio amor est, non procedere ut similem; quia
nulla differentia per se amoris ut sic dicit ratio-
nem similis; sed tantum rationem impulsus. Quod
igitur Spiritus S. sit similis, habet quatenus talis
est, ex differentia extranea scilicet natura diuina,
cui identificatur: non autem ex differentia per se
amoris, ut amor est.

*Secundò sic arguit Vasq. Amor Dei est amor
essentialiter increatus, cuius amoris natura est
esse non accidentarium sed substantiale, & idem
eum ipso esse Dei; ergo ex vi propriæ naturæ & spe-
cificæ differentie habet procedere simile in natu-
ra. Probatur consequentia; quia est substantialis
amor. Resp. amorem Dei esse essentialiter increa-
tum secundum rem, sicut est essentialiter Deus &
quælibet diuina perfectio; non tamen dictio illa
increatus significat differentiam amoris per se
constitutiuam, siue contractiuam ad speciem a-
moris, ut amor est, sed differentiam extraneam
formaliter, sicut etiam illæ dictiones *substantia-
lis* vel *accidentalis* differentias extraneas signifi-
cant; & ideò consequentia & eius probatio nulla
est.*

Tertio: Hæc est propositio in quarto modo di-

Solus.

cendi per se; Amor diuinus producit Deum; ergo hoc conuenit illi ex vi principij in quo recipitur. *Resp.* nullam esse consequentiam: quia dictio illa *diuinus* est differentia extranea amoris ut amor est; significat enim naturam siue essentiam Dei, cui identificatur amor: principium autem amoris proprium est voluntas cum bono cognito, quod principium vi sua formaliter nunquam producit simile. Nec obstat, quod amor non sit à nuda voluntate cum obiecto, sed ab ea ut est in natura diuina, & ab ea quodammodo fecundatur; nam, ut dicemus inferius, natura non producit amorem nisi per modum voluntatis; & ideo natura & voluntas computatur ut vnum principium amoris.

Obi. 4.

Quarto sic arguit. Vel esse diuinum est extrinseca differentia intellectus vel intrinseca; si extrinseca; ergo quod procedit in Deo ex vi intellectus diuinæ, ex propria differentia non procedit ut genitum, sed ratione subiecti, & extraneæ differentie; si verò esse diuinum est intrinseca differentia intellectus, erit etiam amoris; & ita vtrique persona procedet similis ex vi processionis. *Respond.* nomen diuini significare differentiam extraneam formaliter. Ad argumentum in contrarium nego sequelam; nam ostensum est supra, quomodo ex propria & per se differentia intellectus verbum diuinum procedat, ut simile in natura.

Solus.

Obi. 5.

Quinto, Spiritus S. quatenus procedit à verbo Deo, procedit ut similis; ergo ex principio suo proprio exit similis in eadē natura, & dilectio qua producit ex eodem principio habet producere simile. *Resp.* falsum esse antecedens formaliter loquendo de verbo Deo, quatenus principium est amoris, qui est Spiritus sanctus, quoad differentiam eius per se, ut amor est; sic enim concurret ut bonum cognitum formaliter, ad quod per se & formaliter non sequitur simile, sed affectio tantum & impulsus in illud. Secundo negatur consequentia; quia dictio illa *Deo* dicit differentiam extraneam. Et per hæc patet solutio ad quædam alia similia eiusdem expositoris sophismata.

Obi. cont. & concl.

CONTRA secundam conclusionem argumentatur Vasquez. Quia Athanasius, Nazianzenus, Anselmus & sanctus Thomas in 4. *con. gen. cap. 11. & cap. 19.* probant verbum esse Filium, quia est imago Patris: & Spiritum S. non esse genitum siue Filium, quia non est imago Patris & Filij. *Resp.* primò prædictos Patres sumere nomen *imaginis*, prout idem est quod similitudo, ut patet ex eorum verbis à Vasquezio relatis, ut etiam notauit Suarez. Secundo dico sumi ab eisdem Patribus nomen *imaginis* fundamentaliter, non ut actu representat alicui, prout accipiunt Torres & Vasquez in quo sensu non potest ex imagine Filius, ut ex propria ratione rectè probari, sed E

Obi. 1. cont. & concl.

CONTRA tertiam conclusionem argumentatur Suarez & primò contra priorem partem. Diuina natura est intellectualis per summam actualitatem intellectus; ergo ipsa actualis intellectio est quasi formale constitutum illius naturæ; At verbo diuino formalissimè communicatur intellectio ipsa, ut intellectio est, eo ipso quod per intellectum producit tanquam verbum; ergo ex eodem principio rectè concludimus formaliter etiam communicari ipsi naturam illam, secundum propriam rationem formalem talis essentiae & naturæ, vi suæ processionis, & consequenter verbum esse genitum & Filium. *Resp.* hoc argumento probari nostram quartam

Solus.

A conclusionem; nam ex formali communicatione naturæ non potest deduci generatio, nisi media ratione fundamentali similitudinis, quæ in diffinitione generationis exprimitur, & in dicto Suar. discursu virtualiter clauditur.

Obi. 2.

Secundo contra posteriorem partem conclusionis sic argumentatur. Amor ex ratione sua est tanquam quid consequens intellectum, sicut in vniuersum appetitus consequitur esse rei; At quod consequitur esse rei, non censetur constituere naturam rei, sed illam constitutam comitari; ergo nec etiam amor constituit naturam rei; igitur ob dictam causam processio amoris non est generatio. *Resp.* sequelam vltimam nullam esse.

Sol.

B se: Nam communicatio naturæ formaliter loquendo non fit per actum ipsius naturæ constitutum, sed per operationem potentie, quæ præsupponit naturam iam constitutam; nec generatio Filij in diuinis ex hoc formaliter est generatio, quia intellectio per quam communicatur natura, est naturæ constitutiva, nam communicatur natura per operationem vt operatio est, non vt habet rationem constitutiuam, si secundum rem sit constitutiva; quia communicatio & generatio ut sic est actus secundus; constitutum autem ut sic est actus primus; Igitur intellectio diuinæ communicatio insert communicationem naturæ, non ex hoc formaliter quod illa intellectio est naturæ diuinæ constitutiva, sed ex hoc quod illa intellectio est formaliter ipsum esse substantiale Dei, & ipsamet natura diuina, quæ ut modum induit operationis sui ipsius communicatio est.

CONTRA vltimam conclusionem sunt argumenta relata & soluta à Caiet. & alijs expositioribus D. Th.

Proponitur in forma primum argumentum D. Th. & eius solutio.

PRIMUM argumentum S. Thom. est. Quod procedit in similitudinem naturæ in viuentibus, dicitur generatum & nascens; sed id quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturæ; ergo quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit ut genitum & nascens. Probatur minor; quia alias id, quod procedit per modum amoris, esset extraneum à natura diuinæ, & sic esset processio ad extra. *Respondet S. Thom.* Maiorem esse veram de eo, quod procedit in similitudinem naturæ secundum propriam rationem suæ processionis, siue ex vi suæ processionis; non autem de eo quod procedit ut simile ex vi naturæ acceptæ. Ad minorem respondet, quod id, quod procedit per modum amoris, procedit ut simile naturæ in diuinis, non ex vi & modo talis processionis, quæ est secundum rationem voluntatis, sed ex vi naturæ diuinæ per talem processionem acceptæ. Nam quidquid est in diuinis est vnum cum natura diuina. Rationem huius responsionis reddit S. Thom. quoniam ex parte unitatis naturæ diuinæ, non potest accipi propria ratio huius vel illius processionis, secundum quam vna distinguitur ab alia; sed oportet ut propria ratio huius vel illius processionis accipiat secundum ordinem vnius processionis ad aliam; qui ordo attenditur secundum rationem voluntatis & intellectus; Ex quo sequitur, quod secundum propriam rationem intellectus & voluntatis, fortitur etiam rationem & nomen vtrique processio; & quia propria ratio intellectus habet, ut fiat in actu per similitudinem rei cognite; propria autem ratio voluntatis habet, ut fiat in actu per in-

clinationem eo rem cognitam: hinc sequitur vt A
id, quod procedit per modum intellectus, procedat
vt simile & vt natum; id verò quod procedit
per modum voluntatis & amoris, non procedit
vt simile nec vt natum, licet diuinam naturam
accipiat.

SECUNDA CONTROVERSIA.

An processionis distinguantur seipsis formaliter sue
proprij earum rationibus?

Ratio dabi-
tar di.

NASCITUR hæc Controu. non tam ex opi-
nioni diuersitate, quam ex dictis nostri A.
Doctores, quæ primo aspectu videntur sibi con-
traria. Nam in q. de potentia q. 10. a. 2. negat has pro-
cessionis distinguunt seipsis, & ait eas distinguunt
per ordinem originis, sic enim loquitur: *Solus or-
do processionum, qui attenditur secundum originem,
processiones multiplicat in diuinis, unde, conuenienter
dixerunt, qui posuerunt vnam processionem esse per mo-
dum naturæ, & intellectus; aliam per modum voluntatis,
quantum ad id, quod processio, quæ est secundum na-
turam vel intellectum, non præexigit aliam processio-
nem; processio autem, quæ est per modum voluntatis, a-
liam processionem præexigit.* Nam amor alicuius rei
non potest à voluntate procedere, nisi præintelligatur
processisse ab intellectu illius rei verbum conceptum:
Bonum enim intellectum est obiectum voluntatis. Hæc
D. Th. in c. autem huius a. determinat eas distinguunt
proprij earum rationibus, quod est eas distin-
gui seipsis formaliter: sed in præmissis resp. ad 1. vi-
detur utroque modo eas distinguere.

Sententie
Doctorem

TRES sunt de proposita difficultate senten-
tiæ. Prima est Aegidii, in 1. f. 13. qui asserit diu-
nas processionis distinguunt per suos terminos to-
tales, qui sunt ipsæ personæ productæ, sicut et-
iam motus distinguuntur penes terminos.

Secunda sententia est Scoti, quam refert & se-
quitur Rada 1. p. Contr. 14. a. 2. quæ dicit quatuor.
Primum: Distinctio emanationum non est sumen-
da penes terminos, ita vt termini sint principia
distinctionis. Secundum: Istæ emanationes habet
principia formalia inter se formaliter ex natura
rei distincta, quæ sunt intellectus & voluntas.
Tertium: Istæ emanationes distinguuntur seipsis
formaliter, siue se totis formaliter, siue (quod i-
dem est) seipsis sunt primò diuersæ. Nam licet eo-
ueniant in aliqua realitate, puta in hoc, quod sunt
processiones diuinæ personæ, quod sunt immate-
riales, &c. id tamen in quo conueniunt, non est
aliquid contrahibile per differentias, sicut com-
munis realitas genericæ; & ideo dicit Scotus & e-
ius schola, eas distinguunt se totis subiectiue, non
autem se totis obiectiue; Nam ea distinguuntur se
totis obiectiue secundum eos, quæ in nullo quid-
datiuo conceptu etiam entis conueniunt. Postre-
mò dicit hæc sententia emanationes istas distinguunt
manifestatiue penes supposita producta, quia per
ipsa dignoscitur, & manifestatur earum distin-
ctio.

S. Thom.

Capreol.

Tertia sententia est D. Tho. cuius tamen verba
non eodem modo interpretantur eius discipuli.
Nam Cap. in 1. dist. 13. q. 1. tribus concl. mentem D.
Th. expressit. Prima est. Istæ processionis passiue
acceptæ non distinguuntur seipsis formaliter. Se-
cunda. Istæ processionis non distinguuntur reali-
ter ex hoc, quod vna est per modum intellectus,
& alia per modum voluntatis. Tertia: Istæ proces-
siones distinguuntur per relationes originis. Quæ
dicendi modum sequitur expresse lauell. sup. hoc
a. Recentiores etiam scilicet Ban. Zumel. & Ripa in
eundem incidunt.

Sed Cai. hic, & Ferrar. in 4. cont. gent. c. 14. duo
dicunt de mente S. Tho. Primum: Diuinæ proces-
siones distinguuntur seipsis formaliter. Secun-
dum: Eadem processionis non distinguuntur se-
ipsis primò.

Status con-
trouersie.

Vt autem videas, quæ sit inter has duas expo-
sitiones differentia & nodum agnoscas difficulta-
tis, ac mentem A. nostri D. intelligas. Aduerte
primò duplicem esse distinctionem inter prædi-
ctas duas processionis: vnam realem & alteram for-
malē. Realis est ex ordine originis, quem habent
dictæ processionis ad inuicem, vt cum Cai. dixi-
mus in a. præ. & hic adnotat Ban. in 4. sua concl. &
Capr. in dicta dist. 13. & efficaciter demonstrabitur
intra q. 36. a. 2. Formalis verò distinctio non
est ex ordine originis, sed ex rationibus forma-
libus vtriusque processionis, quæ rationes for-
males dependent ex rationibus principiorum,
scilicet intellectus & voluntatis, & ex rationibus
obiectorum vtriusque potentie & processionis,
vt in sequentibus ostendemus: & de hac distin-
ctione loquitur S. Th. in hoc a. & in hoc sensu in-
terpretati sumus cum Caiet. sensum quæstioni: Nec
in corpore articuli fit vlla mentio de ordine ori-
ginis, sed tantum de rationibus intellectus & vo-
luntatis, & processionis vtriusque; quamuis in
resp. ad 1. prædictæ distinctioni ordinem vnus ad
alteram adiunxit, cuius rationem adducemus
inferius; Et quoniam expostores, qui priorem
sequuntur dicendi modum, verba S. Tho. in hoc
articulo paulò maturius considerare neglexerunt;
ideò de vtraque processionum distinctione
differunt non satis opportunè, & vt proverbio
dicitur, Extra chorum saltant.

SVMMENDA est proposita Contr. resolutio
ex quatuor distinctionibus, cum breui singulo-
rum membrorum explicatione. Prima distinctio
est. Duæ processionis verbi scilicet & amoris in
Deo dupliciter sumi possunt; vno modo actiue
& sic productiones siue operationes produ-
ctiue propriæ sunt, vt generatio prout est actio
Patris generantis, & productio Filij; & spiratio
prout est actio Patris & Filij spirantium, & pro-
ductio Spiritus sancti. Alio modo sumuntur pas-
siue, quæ est propria earum acceptio; quia no-
men processionis vt sic, significat emanationem
producti ex producente; vt generatio passiue
sumpta est emanatio Filij à Patre, & spiratio pas-
siue sumpta est emanatio amoris à Patre &
Filio; quamuis hic nulla interueniat vera &
propria passio, sed tantum grammaticalis. De
processionibus vtroque modo sumptis, quoad
earum formalem distinctionem, procedit hu-
ius articuli doctrina, vt ex dicendis appare-
bit.

Resolutio.
Distinguitur
ex expli-
catur nom-
& ratio pro-
cessionis, di-
stinctionis
formalis,
& eius re-
latiui.
Processio a-
ctiue &
passiue.

Secunda distinctio est. Prædictæ duæ proces-
siones passiue sumptæ dupliciter sumi possunt:
Vno modo secundum suas integras rationes;
id est secundum omnia in eis intrinsecè clausa:
& sic includunt ordinem originis vnus ab alia,
distinguunturque realiter inter se per talem or-
dinem: sic enim continent oppositionem relati-
uam, immò sunt idem quod relationes consti-
tutiue Filij, & Spiritus sancti, vt supra diximus.
Alio modo sumi possunt secluso ordine ori-
ginis inter eas; & sic accipiuntur secundum ea-
rum rationes incompletas, nec propriæ sunt
duæ totales acceptiones eiusdem naturæ diui-
næ; sed prima scilicet processio verbi sic sumpta
est acceptio nature simpliciter; secunda verò sci-
licet amoris processio eodem modo sumpta, ni-
mirum, sine ordine originis ad processionē ver-
bi, non est eiusdem naturæ acceptio simpliciter, sed

Processionis
ratio du-
plex, sc. com-
pleta, & in-
completa.

sed

sed tantum secundum quid. Nam si tollatur aut A
mentis consideratione præscindatur ordo origi-
nis, qui est inter generationem verbi & processio-
nem Spiritus S. eadem persona esset realiter
Filius & Spiritus S. & una esset emanatio realiter
generatio Filij, & processio Spiritus S. & unica
illa persona procedens primò acciperet per ge-
nerationem naturam simpliciter & esset Filius:
secundò per spirationem acciperet eandem na-
turam secundum quid & esset Spiritus sanctus;
nam generatio dat rei genitæ esse simpliciter, id
est absolutè. Itaque si eadem res genita intelli-
gatur procedere alia processione, impossibile est
ut per illam aliam processionem acquirat esse
simpliciter, cum illud iam habuerit per genera-
tionem; accipit ergò per illam secundam proces-
sionem esse secundum quid; quia scilicet acqui-
rit rationem amoris, quasi superadditam genito
perfectionem. Et in hoc posteriori sensu quæri-
mus, & cum Scoto præcipue disputamus de di-
stinctione diuinarum personarum, quàm esse
tantum formalem nobiscum affirmat Scotus &
eius schola; sed dissentio tota est de modo distin-
ctionis.

*Distingui-
tur aliqua
seipis for-
maliter du-
plex.*

*Tertia igitur distinctio ex Cai. quem recentiores
sequuntur hæc est. Valdè distat aliqua distingui
seipis formaliter & distingui formaliter seipis
primò. Ea distinguuntur seipis formaliter, quorù
distinctio sit per aliquid eis intrinsecum & essen-
tiale, siue illud sit pars definitionis siue tota di-
finitio; sicut homo sola rationalitate distingui-
tur à leone, sed tota definitione differt à lapide.
Ea verò distinguuntur formaliter seipis primò,
quorum distinctio non sumitur ex alio distin-
ctiuo, quæ proinde primò diuersa dicuntur: &
hæc sunt omnia & sola entia absoluta, quæ scilicet
relatiua non sunt nec relatione prædicamen-
tali nec relatione transcendentali, ut omnes spe-
cies substantiæ completæ & quantitatis. Dico au-
tem substantiæ completæ; quia partes substantiæ, ut
materia & forma non sunt primò diuersæ; quo-
niam eorum distinctio defumitur ab extrinseco,
veluti primo distinctiuo; diffinitur enim ma-
teria per formam, & è contra. Ad cuius euiden-
tiam sit.*

*Entia abso-
luta & rela-
tiua.*

*Quarta distinctio entia quædam absoluta sunt
& quædam relatiua. Absoluta sunt quæ secun-
dum suam rationem formalem nullum dicunt
ordinem ad extrinsecum, ut substantia & quan-
titas, & eorum species ac genera subalterna, &
hæc ut ante diximus, dicuntur distingui forma-
liter seipis primò; quia cum nullum essentialem
ordinem habeant ad extrinsecum, claudunt intra
seipsa prima suæ distinctionis principia, nec in
suis definitionibus quidquam includunt, quod
sit extraneum ab essentia definiti. Quædam verò
alia sunt entia relatiua, quorum duæ sunt diffe-
rentiæ siue modi. Nam quædam in prædicamen-
to relationis continentur, ut Pater & Filius, Do-
minus & Seruus, quæ ideo prædicamentalia nun-
cupantur; quædam autem per plura vagantur ge-
nera & cuiusvis prædicamenti metas transcen-
dunt, ac propterea dicuntur à Metaphysicis tran-
scendentia, ut motus cum singulis suis specie-
bus, potentia, actus, habitus, materia & forma, &
alia similia quæ sunt entitates quædam mediæ in-
ter ea, quæ sunt simpliciter absoluta, & ea quæ
sunt omnino respectiua. Quia cum ad genus re-
lationis prædicamentalis non pertineant, extrin-
seca quædam non per superadditum ordinem,
sed per suam ipsarum naturam in ea essentialiter
propensam respiciunt; adeò ut nec per primam
intellectus operationem absque talibus extrin-*

*Ent relati-
uum duplex*

secis concipi valeant; non quòd extrinseca illa
sint eorum essentialia, & intrinseca differentiæ,
sed ob eam causam; quia eorum differentiæ su-
muntur ex ordine ad extrinsecum. Nam essentialis
ac propria differentia motus intrinseca quidem
est motui; sed quia motus suapte natura tenden-
tia quædam est in terminum, ac proinde essen-
tialiter habet ad illum ordinem; ideo propria &
essentialis differentia motus ab eius terminò su-
menda est; quod idem dicendum est de potentia
in ordine ad habitum, actum & obiectum, & de
actu siue operatione in ordine ad obiectum; & de
materia in ordine ad formam, & è contra. Hæc e-
nim singula ad propria sua iam dicta extrinseca
ordinem habent intrinsecum, ab eorum essentijs
minimè distinctum, quo tota seipis in ea prop-
endunt; atque ideo nec sine eis concipi possunt
aut deffiniri, cum ex illis nimirum extrinsecis
dependeant horum ac similium entium diffe-
rentiæ. Vnde quemadmodum relatiua prædica-
mentalia deffinimus ea esse, quæ hoc ipsum quod
sunt ad aliud dicuntur, intelligendo cum Alber-
to & Caietano in Prædicam. per dictionem aliud
terminum formaliter, ac præcisè absque omni
causalitate: ita relatiua hæc transcendentalia con-
gruè deffiniri possunt ea esse, quæ hoc ipsum
quod sunt ad aliud dicuntur, ex quo secundum
C aliquem modum causalitatis tota pendet eorum
essentia, ut patet in exemplis superius adductis
de motu, potentia, actu &c.

IAM VERO ex his, quæ hucusque diximus, ostenditur
perspicue patet, an & quomodo seipis distin-
guantur hæc entia transcendentalia relatiua. Di-
cendum enim est primò ea se ipsis formaliter
distingui, si dictio illa *seipis* denotat proprias
eorum essentias; nam essentialia differentiæ, qui-
bus huiusmodi res ab inuicem formaliter dis-
tinguuntur, ad ipsarum rerum essentias pertinet.
Quòd si dictio illa *seipis* nominet proprias rerum
essentias, ut conceptas præcisè ab ordine il-
lo transcendente, quem habent ad extrinsecum, &
non ab ipsis extrinsecis tantum; dicendum est se-
cundò ea entia seipis formaliter non distingui;
quoniam impossibilis est talis distinctio, sicut et-
iam impossibilis est talis præcisio; Implicat e-
nim manifestam contradictionem præscindi
rem ab eo, quod illi intrinsecum est & essentialis,
in quo fundatur gradus specificus & ratio vltimæ
differentiæ, qualis est ordo ille transcendentalis
in dictis entibus. Ex quo sequitur tertium nimirum,
hæc entia non distingui formaliter seipis
primò; quoniam ordo ille essentialis quem ha-
bent ad extrinsecum, dependentia quædam est ab
extrinseco quo ad propriam & specificam quid-
ditatem, & vltimam differentiam eius consti-
tutiuam, quæ ab illo extrinseco terminante, tan-
quam à propria causa deriuatur.

E Et ex his communibus facilè est de proposita
difficultate & opinionibus Doctorum relatis in
principio iudicare. Nam si prædicta vera sunt,
nulla est sententiarum oppositio aut vera diuer-
sitas, sed multiformis eiusdem veritatis expressio.
Nam Aegidius affirmans diuinas processio-
nes distingui per suos terminos totales, qui sunt
ipsæ personæ productæ; loquebatur de primo
distinctiuo radicaliter, quo sensu etiam negat S.
D. de potent. q. 10. a. 2. & Capreolus eas distingui se
ipsis; quia scilicet primum distinctiuum radicale
extrinsecum est; sed loquendo de formali distin-
ctiuo, quod necessario intrinsecum est, affirmat
S. Thomas & eius schola, diuinas processiones se-
ipsis formaliter distingui. Scotus autem loquens
de eodem formali distinctiuo, pronuntiat eas
for-

*quomodo se
ipsis forma-
liter distin-
guantur di-
uina proces-
siones, & co-
ciliantur
sententiæ.*

*Opinionum
consensus.*

formaliter seipsis primò distingui; non ob eam causam quòd formalis distinctio ab extrinseco distinctiuo, scilicet termino non dependeat: sed ea tantum ratione, quòd hæ processiones, quamuis in multis conueniant, puta, quòd sint substantiales, diuine, infinitæ, perfectæ, &c. hæc tñ nò sunt eis communia ad modum generis, quòd per differentias contrahitur. Thomistæ negant eas distingui formaliter seipsis primò ob dictam causam; quia scilicet earum differentia sumitur ab extrinseco; & præterea etiam quia conueniunt in vno aliquo prædicato communi, quasi ad modum generis, quòd est processio diuina, cuius per se differentia sunt rationes diuersæ vtriusque processions, vt processio est, scilicet esse secundum rationem intellectus & similitudinis, & esse secundum rationem voluntatis & impulsus; quanquam in diuinis nullum sit propriè genus aut species.

Rada con-
cl. i. reijci-
tur.

Quòd autem ait Rada D. Th. loqui de distinctione reali processionum, Scotum autem de formali iam supra refutatum est; quia S. Th. in huius articuli discursu de sola loquitur distinctione formali; quòd etiam Ripa non aduertit. In responsione autem ad primum meminit sanctus Thomas de ordine originis, quo realiter distinguuntur diuinæ personæ, vt illum reducendo in proprias radices, quæ sunt rationes intellectus & voluntatis, ex eis concluderet distinctionem formalem processionum, quæ ex parte vnitatis naturæ vtraque processione communicata desumi nequaquam potest, vt perspicue patet in textu.

Conclusio-
nes dedu-
ctæ, & pro-
bate.

PRIMA CONCL. Entia relatiua, vtriusque relatione distinguuntur seipsis formaliter, sed non primò. Hæc patet ex dictis.

SECUNDA CONCL. Diuina processiones tam actiue quam passiuè sumptæ, distinguuntur seipsis formaliter. Probatur: quia habent intrinseca distinctiua formaliter.

TERTIA CONCLVSIO: Processiones diuinæ

quouis modo sumptæ scilicet actiue vel passiuè, non distinguuntur seipsis primò formaliter.

Probatur primò: quia habet speciem à terminis, qui sunt productum vt simile, & productum vt impulsus: siue diuina essentia vt communicata per modum similitudinis, & vt communicata per modum impulsus, loquendo de terminis formalibus. Secundò quòd neque in sensu Scoti per se primò seipsis distinguantur probò; quia in multis prædicatis conueniunt, ac præsertim in hoc quòd sunt processiones & communicationes diuinæ naturæ; quòd eis commune est ad modum vniuoci & instar generis, quòd per differentias per se descendit ad species, vt ante diximus.

QUARTA CONCLVSIO. Distinctio formalis diuinarum processionum vtroque modo sumptarum oritur, vt ex causa virtualiter in essendo, ex rationibus intellectus & voluntatis, prout fundamentaliter sunt distinctæ. Hæc satis apertè colligitur ex resp. ad i. vbi sic dicitur. Vnde secundum horum (scilicet intellectus & voluntatis) propriam rationem sortitur in diuinis nomen vtraque processio, quòd imponitur ad propriam rei rationem significandam.

QUINTA CONCL. Distinctio formalis diuinarum processionum non est ex ordine originis. Probatur quia ordo originis præsupponit formalem distinctionem intellectus & voluntatis & operationum vtriusque; ergò: Probatur antecedens: quia essentialia præcedunt notionalia. Secundò quia ordo originis est relatio realis, quæ non est inter formaliter distincta, qua ratione formali-

ter distincta sunt; sed qua ratione tantum potest realis inter ea esse distinctio, vt magis patebit ex dicendis in seq. Contr. Tertiò quia præciso ordine originis, adhuc remanet inter eas formalis distinctio, vt supra diximus.

CONTRA primam concl. non sunt argumenta alicuius momenti, sed quæ possunt adduci, facilem habent solutionem ex dictis & ex doctrina Cai. inf. q. 72. a. 3. quo loco Bannes latius difficultatem extendit & aduersariorum argumenta dissoluit.

Argum. &
soluciones.

CONTRA secundam conclusionem argumentatur Capr. ex doctrina D. Th. quia vnumquod-

Obi. cont. 2.
concl.

que distinguitur ab alio specie per id, à quo speciem habet; sed nulla processio siue motus habet speciem à se, sed à principio vel à termino; ergò istæ processiones non distinguuntur ex seipsis formaliter. Resp. hoc argument. probari primò diuinas processiones non distingui primò seipsis formaliter. Secundò minus propriam & inconsonantem esse loquendi formam asserere talia entia seipsis distingui: quoniam vt hic aduertit Caietanus, non est in vsu talis modus loquendi, nisi in vltimate distinctiuis & distinctis.

Sol.

CONTRA tertiam concl. multa loquitur Rada, sed nullum aduersus eam producit argumentum.

CONTRA vltimam concl. argum. Ban. ex verbis D. Th. in 4. præd. ad 3. vbi ait, quòd processiones, quæ sunt secundum actiones intellectus & voluntatis, se habent secundum quandam ordinem, ita sanè vt processio amoris originetur à processione verbi; ergò huiusmodi respectus intrinseci distinctas eas formaliter faciunt. Resp. D.

Obi. cont. 4.
concl.

Th. in toto illo articulo tractare de distinctione reali diuinarum processionum, quam etiam sustinet in dicta responsione, ex ordine originis inter eas existente. Vnde ad argumentum negatur consequentia. Nam ex tali ordine sequitur tantum realis distinctio, formalis autem sumitur ex proprijs rationibus processionum, ex eorum principijs & terminis, eo modo quo diximus.

Sol.

TERTIA CONTROVERSIA.

An distinctio realis diuinarum processionum sit numerica tantum, an verò formalis & specifica.

Ioan. Rada Contr. 14. ar. 3. quatuor conclusionibus respondet ad quæsitum. Prima est; Hypostases diuinæ non differunt propriè numerica differentia. Secunda; Ex eo quòd proprietates personales constituentes hypostases diuinæ sint alterius rationis, & quasi alterius speciei, non licet inferre, quòd hypostases diuinæ per eas constitutæ sint alterius rationis & speciei. Tertia eiusdem conclusio est. Hypostases diuinæ simpliciter & absolute sunt eiusdem rationis & speciei, eo modo quo species concedi potest in diuinis: etsi proprietates earum constitutivæ sint alterius rationis. Postrema demum eius conclusio est. Processiones in diuinis sunt alterius rationis & speciei ex proprijs rationibus formalibus, & non ex differentia proprietatum personalium. Hanc quo ad secundam partem statuit contra Bannesium. Hæc sententia non exigue distat à mente & doctrina D. Th. quam sequuntur Bann. & Zumellus super hoc articulo. Ad cuius euiden-

Sententia
Doctorem.

Scien-

Resolutio.
Quomodo
fit in diuinis
vntas, &
distinctio
specifica.

Species du-
plex in di-
uinis.

Sciendum est PRIMO ex D. Thom. de potentia, q. 10. a. 2. ad 12. in diuinis non dici proprie genus & speciem, vel vniuersale & particulare; secundum tamen quandam similitudinem creaturarum de diuinis loquendo Pater & Filius & Spiritus sanctus distinguuntur, sicut plura indiuidua vnius speciei, ut ait Damascenus lib. 2. orthod. fid. c. 4. Sed obseruandum est in quolibet indiuiduo generis substantiae posse nos duplicem speciem considerare; nimirum speciem ipsius hypostasis, & speciem proprietatis indiuidualis. Nam si ponamus Sortem esse album, Platonem vero nigrum, & albedinem ac nigredinem esse proprietates eorum indiuiduales; tunc Sortes & Plato erunt vnum specie humanitatis, sub qua ut eius hypostases continentur; sed distinguuntur secundum speciem proprietatis indiuidualis; quoniam albedo & nigredo specie differunt; itaque Pater & Filius in diuinis, quatenus conueniunt in vna deitatis natura, cuius sunt hypostases, considerantur ut vnum specie; sed quia paternitas & filiatio, quibus ut proprietatibus personalibus constituuntur & distinguuntur, sunt relationes specie diuersae; idcirco Pater & Filius differunt specie proprietatis personalis. Ratio huius conuenientiae & differentiae est; quoniam processiones diuinae non sunt sicut generationes in rebus creatis, quae per se ordinantur ad speciem; Ex quo sequitur, ut natura speciei multiplicetur in rebus creatis iuxta multiplicationem suppositorum; sed diuina processio est ad multiplicationem hypostasum, in quibus est vna numero natura Deitatis; Quo fit ut in diuinis processiones sint quasi secundum species differentes, propter differentiam proprietatum personalium, quamuis sit vna numero procedentibus natura communis; qui discursus non est alius ab eo, quem format Doctor noster Angelicus in d. respons. ad 12. Hanc doctrinam ex parte videtur amplexus fuisse Scotus in 1. dist. 7. & dist. 8. quest. 2. ubi docet in diuinis non esse proprie genus nec speciem aut differentiam specificam, sed improprie tantum ibi dici posse speciem & differentiam specificam, sumendo speciem pro ratione formali Dei, & differentiam specificam pro differentia secundum rationem formalem; sed melius dici in diuinis aliqua esse eiusdem rationis vel alterius, quam eiusdem speciei, vel alterius. Qui dicendi modus non differt, sed maxime consonat cum relata doctrina D. Tho. cui etiam assentitur Rada dicens; ea quae secundum proprias rationes formales distinguuntur, esse alterius rationis simpliciter; sed dici alterius speciei non absolute, sed cum addito, ut puta quasi alterius speciei.

Duplex esse
constituen-
tium & di-
stinguentium
genus, quae
non eodem
modo ad con-
stituta com-
parantur; et
qualia con-
stituentia
sint diuinae
relationes.

SECUNDO Notandum est duplicem esse constituentium & distinguentium ordinem. Nam quaedam sunt per se primo a natura instituta ad constituendum & distinguendum: quales sunt omnes rerum essentiales differentiae, quae ex sua ratione formali non sunt completae species, sed ad specierum pertinent complementum simul cum generibus; sicut rationale & irrationale, quae speciei naturam significant quo ad illud tantum, quod in ea formale & actuale est; quemadmodum genus puta animal eandem naturam significat quo ad id, quod in ea est potentiale, ut ait D. Thom. de ente, & essentia, c. 3. Quedam vero constituentia sunt & distinguentia, quae ex sua ratione formali significant species rerum completas; sicut nigredo & albedo, paternitas & filiatio; sed quatenus sunt in tali natura, sic habent & actum exercent constituendi & distinguendi; ut

videre est in casu dato de albedine & nigredine respectu Sortis & Platonis, & vniuersaliter in omnibus formis accidentalibus aduenientibus subiecto iam ad speciem determinato. Illae enim formae non sunt per se ad constituendum in specie & distinguendum institutae; alioquin subiectum cui adueniunt esset per se in duplici specie & in duplici genere; & ex rebus diuersorum generum fieret vnum per se, non tantum in ratione indiuidui sed etiam in ratione quidditatis contra doctrinam Aristotelis & D. Th. de ente & essentia, c. 7. & alibi saepe; Sed quemadmodum formae illae vnitatem habent cum subiecto per accedens & secundum quid, ita constituunt in specie per accedens & secundum quid; nam per albedinem qua fit homo albus, constituitur homo in specie albedinis, non per se & simpliciter, sed per accedens & secundum quid scilicet quatenus albus siue ratione albedinis. Paternitas autem & filiatio, quia formae sunt hypostaticae diuinarum personarum constitutivae & per se subsistentes & realiter eadem cum diuina natura; idcirco personae singulae per eas constitutivae sunt vnum per se; sed quia relationibus praetelligitur essentia deitatis, quae communicatione non diuiditur in personis, sed vna numero perfeuerat; ideo relationes non constituunt hypostases in specie simpliciter sed secundum quid siue cum addito scilicet in specie proprietatis personalis, & eodem modo distinguuntur.

Conueniunt itaque prima constituenta cum secundis, quod utraque faciunt distinctionem secundum rationem formalem: sicut enim rationalitate distinguitur homo formaliter a bruto; ita paternitate distinguitur Pater in diuinis, ut Pater est formaliter a Filio ut Filius est; sicut etiam albedine distinguitur homo albus ut albus est formaliter a nigro. Sed dupliciter differunt. PRIMO, quod priora conueniunt maiorem habent inter se necessariam distinctionem, quam habeant eorum constituta; nam rationale & irrationale minus conueniunt, quam homo & brutum; quia homo & brutum conueniunt in animali, & de illis praedicatur quidditatiue & formaliter; de rationali autem & irrationali non praedicatur formaliter animal & quidditatiue; quoniam, ut ait Philosophus in 4. Top. c. 3. differentia non participat genus, cum de illa non praedicetur genus, ut dicitur in 3. Metaph. text. 20. Posteriora vero constituenta non necessariam sed permissiuam tantum, & quatenus talia sunt siue in tali materia, maiorem habent distinctionem quam sua constituta; non enim est maior albedinis & nigredinis distinctio, quam sit hominis albi & parietis nigri; sed minor: quoniam albedo & nigredo vnam tantum habent specificam distinctionem; sed homo albus & paries niger, non solum eam habent distinctionem, quae est secundum albedinem & nigredinem; sed etiam illam quam habent ipsa subiecta secundum se. Sed ubi constituenta formae sunt hypostaticae modo supradicto, ut paternitas & filiatio: plus inter se formaliter distinguuntur, quam eorum constituta scilicet Pater & Filius; Nam paternitas & filiatio prout a nobis concipiuntur, non conueniunt formaliter in essentia diuina, quae de illis formaliter non praedicatur, sed identice tantum; haec enim propositio Paternitas est essentia vel Deus falsa est formaliter loquendo; quamuis identice vera sit; At vero Pater & Filius conueniunt in essentia concrete sumpta, quae de illis formaliter praedicatur: haec enim est vera & formalis Pater est Deus & haec Filius est Deus; nam in personis intrinsece clauditur essentia. Aduerte tamen,

constituentia
diuina.

Conuenientia
constituentium.

differentia.

tamen, quod si formaliter de constitutio & distinctio, ut constitutum & distinctum est loquamur, pari passu currunt constitutiva & constituentia quo ad distinctionem; nam si constitutiva & distinctiva, distinctionem aliquam habent, quam non communicent constitutis, iam secundum eam rationem non sunt constitutiva & distinctiva. Itaque paternitas & filio, quia ratione sunt Patris & Filij constitutivae, & distinctivae, magis in se distinguuntur, quam Pater & Filius, quatenus dictis relationibus constituuntur, & distinguuntur; nam quod Pater, & Filius includant communem essentiam, non habent ex constitutivis formaliter sed materialiter tantum, prout scilicet idem sunt realiter cum ipsa essentia Dei, ratione cuius identitatis etiam ipsa constitutiva conveniunt. *Secundo differunt*; quoniam priora constituunt in specie siue quali in specie simpliciter & absolute, ut patet de rationali & irrationali; posteriora vero non constituunt in specie vel quasi in specie simpliciter & absolute, sed secundum quid & cum addito. scilicet in specie talis proprietatis aut formae, ut puta paternitatis & filiationis, ut ante diximus. Et pendet haec posterior differentia ex ea, qua primo distincta sunt haec duo constituentium genera, nimirum, quod illa ex sua ratione formali per se primo sunt ad constituendum instituta, haec autem minime. Dixi autem ex sua ratione formali, quoniam paternitas & filio formaliter & praecise sumptae relationes sunt contra genus siue rationem substantiae distinctae: sed quatenus divinae sunt & subsistentes, sunt per se divinarum personarum constitutivae; quomodo vero sub expressa ratione relationis personas constituent, suo loco dicemus.

Nota.

Ex dictis sequitur primo hanc consequentiam non valere: rationale & rugibile, quae sunt constitutiva & distinguenda, in nullo uniuoco formaliter conveniunt; ergo nec etiam constituta. Homo & leo, in aliquo uniuoco conveniunt; Non valet inquam haec consequentia; quia deductio fit a constituentibus, prout sunt quaedam entitates secundum se, & non sub ea ratione qua constitutiva sunt, ad constituta formaliter ut constituta sunt, prout sunt ex constituentibus, ut sic; nam licet constitutiva illa secundum se in nullo uniuoco conveniant, considerata tamen ut constitutiva sunt, in idem uniuocu conveniunt cum suis constitutis, licet non eodem modo; Nam constituta, puta homo & leo sunt ea, quae sunt uniuoca sub animali, & de quibus praedicatur animal, quod est esse uniuocum ut quod; sed constitutiva, puta rationale & rugibile, non sunt uniuoca ut quae, sed ut quibus ipsa constituta sunt uniuoca sub animali: sicut albedo non est alba ut quae, sed ut qua nix est alba; unde dici congrue potest, rationale & rugibile, ut constitutiva formaliter hominis & leonis, convenire in animali, quatenus constituunt species sub animalibus; duae enim oppositae differentiae non constituunt species, nisi actuando idem genus, quod hoc ipso commune est uniuocum speciebus constitutis.

Sequitur secundo hanc consequentiam valere: Rationale & rugibile formaliter distinguuntur ultima distinctione; ergo etiam homo & leo eodem modo distinguuntur; quia totum formale, quod est in constituto quatenus est constitutum, est a constituyente; igitur si constitutiva secundum eam rationem qua constitutiva sunt, formaliter & ultimo differunt: necesse est ut eodem modo differant constituta; unde si constitutiva sunt

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A formaliter indivisibilia ut ultima differentiae: necesse est etiam ipsa constituta esse formaliter indivisibilia, ut species infimae; Constat autem indivisibilitatem vel indivisibilitatem formalem convenire constitutivis ut constitutiva sunt formaliter; quoniam tota indivisibilitas vel indivisibilitas constitutorum pendet ex constituentibus, quae magis vel minus determinant generis, siue communis determinabilis potestate, ut patet intuitu praedicamentales coordinationes; adaequantur enim in hoc constituens & constitutum, ut causa formalis & eius effectus.

Proponuntur, & explicantur quatuor in termino processionis considerata; ex quibus pendet unitas, & distinctio personarum, & processionum.

B TERTIO observandum est in termino divinae processionis quatuor considerari: Primum est, ipsa persona procedens quae est terminus qui: Secundum est, divina essentia communicata, quae est terminus quo siue terminus formalis; & quoniam divina essentia est eadem specie & numero in principio producente, & in termino producto; ideo simpliciter loquendo, tres personae sunt unius speciei eo modo quo species est in Deo; quia sunt unius naturae Deitatis & unus numero Deus. Tertium est modus siue ratio sub qua divina essentia est terminus quo processionis; nam in processione verbi divina natura est terminus per modum similitudinis: in processione autem amoris eadem divina natura est terminus, sed per modum impulsus; & ex hoc distinguuntur formaliter divinae processionis, & consequenter etiam divinae personae procedentes, quia scilicet una procedit ut similis, alia ut impulsus. Quartum est proprietas individualis, videlicet filio & spiratio, quae sunt relationes constitutivae personarum; quae quidem relationes sunt secundum speciem diversae, si non proprie quia in divinis non est species neque genus; saltem secundum quandam similitudinem ad relationes creaturarum; quo fit ut etiam ipsae personae per tales proprietates constitutae differant specie, non simpliciter (quia nec per eas constituuntur simpliciter in specie sed per naturam deitatis) sed quod differant specie proprietatis individualis, ut iam satis ostendimus. Quoniam igitur in terminis divinarum personarum tot continentur, per quae singula distinguuntur ipsi termini, praeterquam per secundum quod est divina essentia; merito divinae processionis, ideo dicuntur distinguui secundum terminos; quia secundum omnia aut singula praedicta in terminis contenta distinguuntur; cum praesertim processio in divinis non per se ordinetur ad speciem, sicut generatio in rebus creatis, sed ad multiplicationem hypostasum, ut docet S. Th. de potentia q. 10. a. 2. ad 2. Et ex his solvuntur obiecta Radae

Rad. obiecta corrumpit. Controv. 14. a. 3.

PRIMA CONCL. Hypostasies divinae simpliciter conclusio: loquendo sunt eiusdem rationis & speciei, eo modo quo nos deducimus species admitti potest in divinis. Probatur; quia triu personarum divinarum una numero est essentia; ergo una species modo dicto.

SECUNDA CONCL. Hypostasies divinae differunt quodammodo numero, non tamen proprie. Probatur; prior pars conclusionis; quia sunt supposita Deitatis realiter distincta, nec differunt specie naturae; ergo numero solo absolute loquendo. Et confirmatur; quia una divina persona alteri comparata, vel est eadem numero cum illa, vel numero

E

distin-

distinguitur ab ea; non primū: alioquin non esset A
vera & realis trinitas personarum in diuinis; ergo
secundum. Differunt autem numero per hoc
communi, quod est hypostasis vel persona. Po-
sterior verò pars probatur; quia absolute loquē-
do sunt vnum numero, quia sunt vnus numero
Deus; nec sunt plura indiuidua Deitatis, propter
vnitatem naturę, licet sint tria supposita propter
tres oppositas relationes subsistentes.

TERTIA CONCLUSIO: Hypostases diuinae
differunt secundum speciem proprietatis personalis.
Hæc est D. Th. & patet ex dictis.

QUARTA CONCLUSIO: Ex hoc quod proprie-
tates personales specie differunt, sequitur optimè diui-
nas personas differre specie proprietatis personalis.
Probatur; quia idem est constitutum in specie
& distinctum, vt patet inductiue.

VLTIMA CONCLUSIO: Processiones diuinae sunt
differentes quasi secundum speciem dupliciter; Vno
modo propter differentiam proprietatum persona-
lium, alio modo propter differentem modum siue ratio-
nem termini formalis, vt explicatum est.

Argum. & solutio. CONTRA secundam concl. quo ad priorem e-
ius partem possunt asferri tria argumenta Radae,
pro sua prima conclusione, quæ tantum probant
posteriolem huius nostre conclusionis partem.
Contra quam vide si placet argumenta Bannef. &
Zum. ab eis soluta.

Rad. obi. 4. CONTRA quartam conclus. argument. Rada.
concl. Magis conueniunt constituta quam constitu-
entia; ergo ex distinctione specifica constituentium
diuinas personas, non licet inferre distinc-
tionem earundem personarum specificam. Conseq.
probatur; quia constituenta non distinguunt cō-
stituta eadem distinctione, qua inter se distinguū-
tur; nam differentia vltima specifica sunt inter
se primò diuersæ, non tamen species per eas con-
stituta. Respond. antecedens falsum esse in sensu
formali, vt satis ostendimus. Si autem intelligat-
ur de constituentibus, vt entia quædam sunt se-
cundum se, negatur sequela; quia specifica distin-
ctio constituentium, non potest illis conuenire
nisi vt constituentia sunt, vt ante diximus; Ad
probationem dico; eam procedere de ea distin-
ctione, quæ conuenit constituentibus tantum se-
cundum se & materialiter, non vt constituenta
sunt. Vnde Aristot. in 3. Metaph. ex propria ratio-
ne differentia, prout distinguitur à rationib. spe-
ciei & generis, probat de illa non prædicari ge-
nus; quo loco vide si placet expositionem D. Th.
ex quo patent etiam solutiones, quas adhibet Ra-
da quibusdam argumentis pro hac nostra con-
clusionem, nullius esse valoris.

Rad. obi. vlt. concl. 1. CONTRA vltimam conclus. argumentatur idem
author. Primò: Si differentia istarum produ-
ctionum desumenda est ex differentia proprie-
tatum personalium; ergo huiusmodi emanationes
per se tendunt tanquam in terminos formales in
huiusmodi proprietates; sed consequens est fal-
sum; ergo. Probatur consequentia; quia secun-
dum doctrinam D. Th. distinctio emanationum,
sicut & motuum, ex terminis formalibus desu-
mitur; falsitas consequentis probatur; quia tunc
nulla istarum productionum esset vniuoca:
quia produçens & productum non conueni-
ent in termino formali productionis, nec pri-
mo nec secundario. Resp. nullam esse consequent.
Ad probationem resp. D. Tho. loqui de distin-
ctione quæ fit secundum speciem simpliciter siue
absolute; non autem de illa quæ fit secundum pro-
prietates indiuiduales. Secundò dico processio-
nes diuinas esse ad multiplicationem hyposta-
sum in vnitatem naturæ, & ideo processionem per

se primò terminari ad naturam, vt terminum for-
malem siue vt quo: ad personam verò proceden-
tem vt terminum productum, ad proprietatem
autem concomitanter siue consequenter.
Nec est necesse produçens & productum conue-
nire in termino concomitante vel consequen-
te, & præsertim si illud concomitans sit proprie-
tas indiuidualis. Et per hæc patet solutio ad
quædam alia similia eiusdem authoris argumen-
ta.

Secundo: Proprietates personales diuinarum obi. 2.
hypostasum, habent se respectu earum, quasi ad
modum differentiarum indiuidualium in crea-
turis; sed ex differentia & distinctione differen-
tiarum indiuidualium, non licet inferre, quod
eadem distinctione distinguantur productiones
indiuiduorum, quorum sunt differentia; ergo
nec ex distinctione proprietatum personarum
diuinarum specifica licet inferre, quod produ-
ctiones earundem personarum distinguantur
specie. Probo (inquit) minorem; quia differentia
indiuiduales Petri & Pauli sunt primò diuerse &
quasi alterius rationis; productiones tamen Petri
& Pauli nec sunt primò diuersæ, nec alterius ra-
tionis & speciei. Resp. primò magnam esse differen-
tiam inter proprietates personales diuinarum
personarum comparatione emanationum ipsa-
rum personarum, & differentias indiuiduales in
creaturis comparatione productionum ipso-
rum indiuiduorum. Nam proprietates perso-
nales diuinarum personarum, idem realiter sunt
quod emanationes; nam generatio passiva idem
est quod filiatio, nec differt nisi modo signifi-
candi; quia illa significatur vt processio, hæc au-
tem vt relatio; differentia autem indiuidualis in
creaturis, non est idem realiter quod ipsa genera-
tio passiva indiuidui. Secundo admissa etiam iden-
titate, quæ valde probabiliter potest sustineri;
negatur minor argumenti. Ad probationem nego
differentias indiuiduales esse primò diuersas,
quatenus sunt indiuiduorum constitutiva; nam
quamuis secundum se minus conueniant, quam
indiuidua; quatenus tamen sunt eorum constitu-
tiua & distinctiua, non magis differunt quam in-
diuidua; sicut etiam diximus de differentiis vlti-
mis respectu specierum, quæ per eas constituun-
tur & distinguuntur.

Vide etiam argumenta Ban. & Zum. & eorum
solutiones.

ARTICVLVS V.

Vtrum sint plures processionis in diuinis, quam
duæ.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod sint
plures processionis in diuinis, quam duæ. Sicut e-
nim scientia & voluntas attribuitur Deo, ita & po-
tentia. Si igitur secundum intellectum, & voluntatem
accipiuntur in Deo duæ processionis, videtur, quod ter-
tia sit accipienda secundum potentiam. Inf. q. 28. a1
4. cor. & q. 37. a. 1. cor. & q. 41. a. 1. cor. & q. 41. a. 2. cor. & q. 10. a. 2. cor. ad op.

2. Præterea. Bonitas maxime videtur esse principium
processionis, cum bonum dicatur diffusivum sui esse. Vi-
detur igitur, quod secundum bonitatem aliqua proces-
sio in diuinis accipi debeat.

3. Præterea. Maior est fecunditatis virtus in Deo,
quam in nobis: sed in nobis non est tantum vna proces-
sio verbi, sed multe, quia ex vno verbo in nobis procedit
aliud verbum, & similiter ex vno amore alius amor.
ergo & in Deo sunt plures processionis, quam duæ.

Sed contra est, quod in Deo non sunt nisi duo proce-
dentes, sicut Filius, & Spiritus S. Ergo sunt ibi tantum
duæ processionis.

Respon.